Q. D. B. V.

VALETUDINARII SENILIS

Lineas Generales,

Permiſſu Gratioſæ Facultatis Medicæ,

PRÆSIDE,

VIRO EXCELLENTISSIMO,

DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO,
Phil. & Med. D. ac P. P. Celeberrimo, Conſiliario & Archiatro
Würtembergico Splendidiſſimo, Facult, h. t. DECANO Spectatiſſimo,
Patrono ac Præceptore ſuo ſanctiſſime
colendo,

Ventilandas proponit

Ad d. Jul. Ao. M. DC. LXXXIII.
h. lq; c.

M. THEODORUS CAROLUS, Tubing.

TUBINGÆ

Excudit GREGORIUS KERNER.

J. J.

Caput I.

Hiſtoriam & Originem Morborum Senilium conſiderat.

Th. I.

Ætates non morborum tantum, ſed & Hominum probe conſiderandas eſſe, non ſine ratione ex occaſione *Aph. 2. ſ. 1.* monet *Paracelſus in Comm. ad h. l. p. 11.* Illis enim probe perſpectis facile erit Medico Rationali *Temperamentorum* differentias eruere, *Morborum* plurimorum ſigna formare, quin *Indicationes*, *indicata*, eorumque materias elicere, aut potius determinare. De Ætatum vero in Homine *Differentiis* & *Numero* non penitus unanimes ſunt *Authores*, quam tamen controverſiam hoc loco tangere, propoſiti mei non eſt; qui uberius ea de re informari voluerit, adeat *I. Martin. quæſt. Ill. Phil. C. X. D. 4 q. 5. C. Barth. Sen. Enchir. Phys. l. 8. c. 11. Senn. Inſt. l. 1. c. 4.* De ſola namque *Ætate Senili* ſolicitus hâc vice ero. Ubi præmonendum, *duplicis* Senii mentionem fieri apud *Aa.* ita ut *Aliud* oriatur ex morbo, quale Senium Maraſmi ſpecies eſt, teſte *Gal. M. M. L. X. c. X. Sebiz. coll. Therap. Diſp. 11. parerg. 21.* à cauſa violenta oritur, & fere Hecticis, ardentibus febribus, aliisque acutis & diuturnis morbis ſuccedit, *Platerus pr. T. 3. L. 1. c. 5. p. m. 520.* *Aliud* autem vitio ætatis, & annorum numero, prout à *potiſſimis* ſumitur; declinatio enim à principio, augmento & ſtatu multum aliena hic eſt virium. *Longævi*, de quibus *Meibomius*, & rejuveneſcentes à ſenio extra regulæ tranſiliunt limites.

II.

Quando autem & ſub quo annorum numero inchoari Ætas Senilis ſoleat, ut digna hoc nomine ſit, in diverſas itur partes; Verum ut in genere certo annorum termino ac numero circumſcribi ætates non poſſunt, *Glauberg. dict. Phys. p. 514.* ita nec Senilis, non tam annis quam viribus menſuranda, *Wedel. Theorem. p. 159.* Diſpeſci ſolet Senectus; dum *Viridis* alia, *cruda* dicitur, conſtitutionis ſæpe ſatis adhuc laudabilis, quæ potiſſimorum computatione ab Ao. 50. ad 60. menſuratur, alia *Media*, quæ ab Ao. 60. ad 70. alia *Decrepita*, quia talis Senex aut Seminex inſtar lucernæ ſua ſponte langueſcentis, ac tandem pabuli defectu, cum crepitu exſpirantis, extinguitur, aut quia inſtar curruum veterum & rerum fragilium ſine crepitu difficulter locomovetur, quæ ab Ao. 70. ad finem vitæ, *Mœb. fund. Med. Phys. c. 7.* Non

à certo annorum numero ſolum, ſed & potiſſimum actionum obeundarum varietate deduci ac ſecerni iſtæ differentiæ debent *Rolf. M. S. C. l. 2. ſ. 3. c. 34.* cum rarum non ſit, ſexagenarium quinquagenario vegetiorem eſſe, & vice verſa, cum Juventus hoc tempore Senectutem, quod nunc non credit, oculatis autem manibus videbit, ſibi acceleret. Cum ergo triplex fere Senectus detur, *Vna* ætatis virium actionumque reſpectu, *Alia* annorum quidem numero, non autem virium ratione, *Alia* denique non annorum quidem numero, virium tamen longo morborum decurſu detritarum languore talis; de illis agam, qui & ex annorum multitudine & virium debilitate *Senes* ſunt.

III.

Ætatis hujus *Temperamentum Frigidum & Siccum*, ut vulgo vocant, eſt. De illo equidem præter ſuffragia *Craton. Conſil. l. 3. p. m. 39. Sebiz. Ex. Med. 8. probl. 2. Lemn. de compl. l. 1. c. 4.* & *aliorum plurium* dubitare non permittit externa manuum in corpus Senile injectio, actionum, calori alias aſſignatarum, debilitas, & facilis à frigore externo læſio. Decoro acumine Senium depinxit *Sapientiſſimus Salomo.*

Gelidus (enim) tardante Senecta
Sanguis adeſt, hærentque effata in corpore vires.

Cutis rugas contrahit, calveſcit caput, & caneſcit, vivido vultus caret colore, contrahitur auris tympanum, humores & tunicæ oculorum flacceſcunt, incurvatur corpus, languent viſcera, tabeſcit corporis habitus. Calidum enim deficit, ſpiritus dejecti, imbecilles ſunt, ſanguis deferveſcit, ejusque particulæ balſamicæ, volatiles, mobiles gelatinoſæ deficiunt, ſuccedunt terreſtriores, ſalſæ, acidæ, partium ſolidarum tubuli non ſatis patent, aut dilatantur, crebra enim viciſſitudine, fluctuatione ac motu continuis attrita & abſumpta ſunt, vegeta quæ ante fuerant. De *Siccitate* ſunt qui dubitant, reſpicientes ad crebros Senum Catarrhos, ſputationes, lacrymas, &c. hoc tamen non obſtante recte *Sebiz. l. c. probl. 1.* ætatem Senilem omnium ſicciſſimam dicit, & *Zabarell. l. de reb. nat. p. 821. c. cum Ariſt.* Senectutem nil niſi exiccationem vocat: Iſta enim quæ obſtare videntur, in omnibus Senibus non occurrunt, & ubi occurrunt, de accidentaria tantum, ad ventitia & excrementitia humiditate, ob ineptitudinem partes ſolidas arefaciente, non glutinoſo dulci, ſed potius inſipido partes irrigante rore, de excrementitiis, non Mæ. Sæ. debitis ac propriis particulis teſtari poſſunt. Ob has aliasque cauſas factum, quod *Aliqui* ipſam Senectutem malam ætatem, Morbum vocarint, *Seneca & Guevara* inſanabilem, citra tamen rationem, cum deſignatus hic Senum ſtatus naturalis iis ſit, ſub quo actiones eorum non ita ſenſibiliter,

(quod

(quod tamen ad morbum requiritur) læduntur, quia exercere actiones ætati ſuæ convenientes poſſunt, aptitudine Sene digna gaudent; Morboſiq; ideò dicendi non ſunt, quod in omnibus non ſufficiant, aliàs de infantibus idem ſubſumendum foret. Non me latet infirmitatem illam Senum ab aliis magis extendi; quod tamen ita univerſaliter & in genere non admittit *P. Zachias in Q. Med. Leg.* qui videri poteſt: *Hornius Arc. Mos. p. 172.* Senectutem à defectu Lucis deducit, ipſum autem hunc defectum ex mutatione & detritione particularum & pororum corporis, dum conſtipantur, denſantur, ſiccantur, unde minor Lucis influxus, & debilior motus oriatur. Quid per Lucem hanc ejusque defectum intelligere Alii velint, omnibus liberum ſit, quin tamen de ſanguine & ſpiritibus explicari poſſit; *ego* nullus dubito; *Conf. Rivin. Diſput. de Spir. Vit. c. 2, §. 10. Barthol. C. 1, Ep. 15. p. 65.*

IV.

Ipſa autem Senectutis in *Statu p. n.* incommoda ſi quis ob oculos ponat, tot tantaque ſunt, ut dubius ſit, an optare, quò ſemper fere mortis nos ducit averſatio, ipſam velit. Conſignavit *Hipp. ſ. 3. Aph. 31.* plura, quibus & accedunt alia, quæ haud raro multum negotii Senibus faceſſunt: A *capite* autem ad *calcem* usque nulla fere pars eſt, quæ non laborare in iis ſoleat. Calvi fere omnes ſunt, illoque quo quàm maximè indigerent, ob frigidam capitis ſui temperiem integumento deſtituuntur. Præteritorum memoria eos deſerit; obliviosi, proprii haud raro nominis immemores fiunt; unde vacillare etiam rationis uſus ſolet, ut eâ, quâ ante pollebant, judicii dexteritate amplius non ſint: Ipſi etiam ſenſus, auditus potiſſimum & viſus, ſæpius etiam ſermonis organa in actionibus ſuis remittunt, aliquando unà cum motu ſubito disparent omnes ſenſus, ut præter reſpirationem adhuc aliqualem nil ſæpe ſuperſit, quod teſtari de vita poſſet. Motus Membrorum aliquando cum, aliquando ſine eorum ſtupore inhibetur; vertigine modo ſimplici, modo tenebricoſa invaditur caput; nullum oculi videre ſomnum poſſunt: Ob amiſſos dentes balbutiunt; variis deſtillationibus oculorum, narium, catarrhis, modo cum modo ſine tuſſi obruuntur, Sputatores, Aſthmatici ſunt; quin præſentaneo ſæpe, nil minus cogitantes, ſuffocationis periculo exponuntur. Facie & corpore modo lurido & inflato, modo exucco & exangui incedunt; haud raro lymphatico humore totus corporis habitus, modo unus tantum, modo omnes ſimul inundantur ventres. Elutriatio ſanguinis per renes & veſicam ſufflaminatur, aliquando guttatim tantum, & intolerabili fere cum dolore urina emittitur: Tentantur ructationibus: Alvi fluxus diverſi generis invadunt; Renes, veſica crebris calculorum roſionibus torquentur; Artus

 manus,

manus pedes intenſiſſimis, modo vagis & erraticis, modo fixis excruciantur doloribus; Aliquando Tremoribus tentantur membra, ut nec manus nec pedes ſuo decenter fungi munere poſſint; Cutis ipſa modo inane in pruritu ſcalpendi deſiderium inducit, modo omnis generis puſtulis, ulceribus, excesſionibus defædatur; Laſſitudo omnes artus detinet; pedes tumoribus œdematoſis corripiuntur, aliaque hinc inde proveniunt, quæ multiplicare Senum labores, iisque interitum minari ſolent.

V.

Cauſa autem *Generalis* (*Speciales* in ſpecialibus Affectibus exponam) cur Senes dictis Morbis præ aliis ætatibus torqueantur magis, eſt indigitata prius, ſed *aucta*, ſed *intenſior*, *magis depravata*: Quia nempe *Calidum* valde paucum, valde enervatum, *flamma vitalis* exigua, *ſpiritus* languidi, effœti, vappidi, ignavi, *ſanguis* pauper viſcidus nimis, ac glutinoſus, ſalſis, ſylveſtribus, rigidis, acidis etiam, aqueis particulis ſcatens, non debite ſe expandens, partes ſolidæ corrugatæ rigent, dum à ſpiritibus ductus, pori ipſorum ac fibrillæ non ſatis perfunduntur, aperiuntur, moventur, dum à prævio calore arefactæ nimis ſunt, dum roſcido, mucoſo liquore debito non irrigantur, aliquando heterogeneo ſero inundantur, iſta contingunt; Ad cujus *Cauſæ* productionem ſuum varia conferunt. Symbolum, tam *Interna*, quam *Externa*.

VI.

Prima in *Ventriculo* (illa enim, quæ pro Inteſtinis contra Ventriculum in hoc opere moveri ſolent, nondum omnibus ſatisfaciunt; nec audiendus *Famoſiſſimus* quondam Medicus, qui renibus munus hoc concredidit, ut ex relatione *Exc. Dn. Præſidis*, ſtudiorum meorum Directoris Benigniſſimi habeo) perficienda *Coctio* debilis hîc eſt, *partim* ob Maſticationem imminutam, *partim* Menſtruum Gaſtricum exoletum, *partim* calorem minus efficacem; ſc. Alimenta potiſſima, legitima licet, & arte culinari debite Præparata antequam ventriculo offerantur, comminutione prius opus habent, ut ſalivali humiditate fideliter imbui ſicque ad ſuſtinendam in ventriculo mutationem rite præparari poſſint. Nec fruſtranea aut inutilis eſt *prima* hæc ciborum in ore *præparatio*. *Saliva* enim, primum illud vitale menſtruum ceu fermentum quoddam *Muralt. Clav. p. 45. Harder. Exam. Cochl. p. 57. 58.* comminutis cibis ſe inſinuat, eosque jam in ipſo ore fermentare, ubi debitè ſe habet, incipit, (unde omnes fere priores ſuas qualitates, odorem, colorem, ſaporem, exuere cernuntur. *Swalv. Q. V. p. 38. pancr. pancr. p. 155. Loſ. diſſ. de Saliv. c. 4. §. 4.*) cumque cibo deglutita inchoatam pertexere telam laborat. *Paul. παρεκβ. p. 33.* Comminutio hæc

Dentium

Dentium ope peragitur, qui ideò maximæ ſemper fuere exiſtimationis, ut etiam ii, qui plures ore ſuo circumferunt dentes longiorem ſibi vitam promittere ſoleant. De prima hac ciborum in ore præparatione, hincq; oriundis commodis lætari Senes nequeunt, qui dentibus utplurimum, ſi non in totum, tamen in tantum deſtituti ſunt, dum vel penitus ex alveolis ſuis protruſi ſunt, vel infirmius iis inhærent, facileque locomoventur, ciborumque ita comminutioni obſtant. Occurrit quidem Natura aliquando huic defectui, ut eundem gingivarum duritie reſarciat, teſte *Rolf. Diſſ. Anat. p. m. 336.* Quale inſigne exemplum de quodam 76. annorum à 30. annis dentibus deſtituto, duriſſimas gingivis nuces frangente, obſervavit *Exc. Dn. Præſes*, in omnibus tamen adeo benigna non eſt: Unde fit, quod nec Salivâ, primo illo fermentali liquore, imbui, nec fermento ſtomachico acceſſum concedere cibi poſſint, & non raro integri vel ſemimanſi, coctionem ſubterfugientes, per alvum redeant. Quin nec ipſa *Saliva* eo quo ſe deberet habere modo conſtituta hîc eſt, viſcidior enim eſt, & ſpiritibus depauperata, ut nec diſſolutioni ciborum, nec particularum craſſiorum inciſioni ſufficiens eſſe poſſit.

VII.

Accedit cauſæ huic alia in ipſo *Ventriculo* (qui ſi ullibi vas corporis peſſimum dici meretur, *Plinius H. N. l. 26. c. 8.* in Senibus meretur) quærenda, *Menſtrui* ſeu *Fermenti defectus* & *Inertia*. Publicam in Ventriculo culinam extruxit Natura, quò omnia demittenda ſunt, quæ in uſum eſumq; noſtrum cedunt, *Gliſſon. de V. & I. c. 19.* Quo autem modo quibusve mediis negotium hoc exequatur, diſſentiunt *Aa. Potiſſimi* ex vet. calori non ventriculi tantum, ſed & vicinarum partium Hepatis præſertim & Lienis opus hoc contulerunt, quam opinionem etiam fovet *Regius in Spong. contra Animadv. Primeroſ. contr. circ. ſang. p. 8.* Contra quos calamum ſtrinxerunt *H. Fabri l. 8. de Hom. p. 201. Swalv. in Q. V. p. 46.* ut *Pauciſſimi* hodie ſint, quibus non ſuſpectiſſima ſit illa opinio: *Moderni* plerique quicquid hîc peragitur Fermentationi tribuunt, *Barthol. c. 4. Ep. 97.* excitatæ ope cujusdam fermenti, ventriculi plicis atque parietibus adhærentis, ventriculo connati *M. Hofm. Synops. Inſt. Anat. Diſp. 3.* quod *Alii* per arterias communicari ventriculo credunt, ut *Hogeland. ap. F. Piens tr. de Febr. in gen. p. 31. Willis Ph. R. part. 1. p. 15. Alii* per nervos, ut *Hannemann. de uſ. & Abuſ. Inebr. p. 38. Alii* per tunicam ejus interiorem ope tranſſudationis, ut *I. Back. Diſſ. de Cord. p. 91. Alii*, & quidem veriſimilius ab œſophagi & ventriculi glandulis *Bohn. Ex. Phys. 3. König. R. A. p. 61.* Fermentum hoc utut quidam ventriculo penitus denegent, quidam parvi faciant, putantes fermentationem ciborum abs-

que humoris fermentalis additione fieri poſſe, non ſecus ac multa alia abs- que acidæ ſubſtantiæ additione fermentationi obnoxia ſunt, adeò tamen neceſſarium *Charleton Oec. An. p. 16.* credit ut ſine ejus adminiculo fermentatio fieri nequeat, absque fermento enim nullam alterationem fieri contendit *Schenck. Hiſt. S. S. p. 59.* Quà naturam ſuam à quibusdam ſub acidi & mordacis humoris ſpecie proponitur *Fabri l. c. p. 202. Thom. Cornel. Phyſiol. p. 229.* contra tamen guſtus judicium, à quibusdam Nitroſum creditur, *Hannemann. athiolfac. purg.* §. 6. ab Aliis acidum volatile ſpirituoſum habetur *Piens. l. c. p. 231. Wedel. Phys. p. 122.* à cibi reliquiis augetur: Secundum vim vero ſuam menſtrualem ſolutivam & fermentalem transmutativam, *Ettmüll. Chir. inf. c. 2.* §. 4. in ſpongioſam comminutorum & ſaliva jam perfuſorum ciborum ſubſtantiam ſe inſinuat, modoque ab Aliis tradito in Chylum transmutat. At ſi quid deſiderari in Senibus ſolet, proba fermentalis hujus humoris conſtitutio eſt; *Aciditas* quæ moderata eſſe deberet, vitalis, volatilis, non crudelis, non auſtera, *pervertitur* in his, & plus juſto abundat, acidarumque cruditatum cauſa fit, ut ob tantam acidi hujus humoris abundantiam à quocunque fere acido offendantur *C. Schrey de ort. morb. ex ferm. ventr.* §. 15. omnisque ita Cacochimiæ baſin circumferant, *Ettmüll. de præcipitant. p. 33.* Haud raro tamen à naturali ſua Craſi & activitate dejicitur, à *pituitoſis*, quibus abundant plerique, *humoribus*, in ventriculum eructatis, aciditatem iſtam naturalem & volatilem nimis diluentibus, inviſcantibus, incraſſantibus; hinc cum excitari ſatis & elevari nequeat, fit, ut de continuâ fere anorexia, ventriculi imbecillitate atque gravitate conquerantur. *Deſtructionem degenerationemque* hujus fermenti à copioſâ & inerti ſputatorum Senum ſalivâ deglutitâ non parum promoveri probabile eſt. Addi inertiæ iſti, ratione aciditatis, meretur *inſufficiens* ejus *ſpirituoſitas*; Spiritus enim non minimas in conſtitutione fermenti partes ſibi vindicare extra controverſiam eſt, *Mangett. in not. ad anat. pr. Barbett. p. m. 52.* ut autem Senum ſpiritus dejecti ſunt, ita cauſam communis mali experiri ſimili fato fermentum hoc cogitur, unde ob inſufficientem ejus ſpirituaſcentiam crudiores, & ad ſubigendum minus *aptæ particulæ* exaltari, volatiliſari nequeunt, ſicque neceſſariò crudus chylus exurgit.

VIII.

Juvat priores duas cauſas *caloris debilitas*; utut enim cibus in ventriculo ope caloris non elaboretur in Chylum, excludi tamen penitus ab opere hoc nequit; hinc etiam ex *Rec.* ſunt, qui pro eodem intercedant, ut *Meibom. Diſ. de Chylif.* §. 28. 64. *Back. l. c. p. 92. Highmor. de aff. Hypoch. p. 168.*

Swalv.

Swalv. in Q. V. p. 42. Marci Conſ. Med. p. 37. & tr. de nat. urin. p. 54. I. Iacobi Probl. Med. Phyſ. p. 57. & Alii. Et omnino locum aliquem meretur, vel ideo, quod fermenti vim ſuſcitare, in cibos armare, ſicque eorum fermentationem mirum quantum promovere ſoleat; ad fermentationem enim calor requiritur, *Pechl. l. c. p. 441.* imo citius fermenteſcere omnia, quæ quocunque modo incaluerint, vel in vulgus notum eſt. *Cornel. l. c. p. 737.* unde etiam calida ſ. intus ſ. extus adhibita coctionem promovere ſæpius experimur. Sed de quo conqueruntur magis Senes, quam de caloris paupertate, corporisq; & partium frigiditate, hinc ut in exterioribus frigent, ita meliore interiora fato non fruuntur: Sanguinis enim è cordis rivo diſpenſati munus eſt, calorem partibus ſingulis ex æquo diſtribuere, at ubi hic ipſe calore & ſpiritibus deſtitutus eſt, ubi uterque ejus motus labaſcit, nemo miretur, partes ſanguine laudabili, calore juſto deſtitutas, in actionibus remittere, fermentum ventriculi non excitari, ciborumque fermentationem vitioſe evenire, cibus n. in ventriculo, calore & ſpiritu deſtitutus, crudeſcit. *Marſil. Ficin. de Stud. ſan. tuend. p. 30.* Confert ſuum etiam ſymbolum nimia *fibrarum* ventriculi *relaxatio* ob quam ingeſti cibi nec comprehendi, nec debito calore foveri, (decentem enim ventriculi corrugationem, quà coquendum cibum complectitur, non parum ad calorem conſervandum conferre, animadvertit *Meibom. l. c.*) nec rite comminui & fermentari poſſunt: Fibrarum illa relaxatio longè petenda non eſt, cum ſpirituum à naturali ſua craſi deviatio, modusque Senum victitandi facile talem perſuadere poſſit.

IX.

Cumulare Senum ægritudines etiam ſolet ulterior illa ciborum in *Inteſtinis* evolutio, quæ æque ac prior vitioſè peragitur. Ut enim inteſtina ſecundum determinatas ſuas vires ad certas tantum conditiones, errores ventriculi corrigere nequeunt, ita propria ſua humorum præſertim, qui confluere hîc ſolent, *Bilioſi* np. *Pancreatici* & *Inteſtinalis menſtrui* culpa modò privative, modò poſitive, Morbis Senilibus anſam dant, in quantum ob humorum iſtorum & Maſſæ Chyloſæ disproportionem deſiderata partium heterogenearum, à laudabilibus & alimentariis ſecretio fieri nequit; Multum ſibi tribuit Inertia *Bilis* & viſciditas nimia, ob quam viſcidiores, craſſiores alimentorum portiones nec incidere, nec ad fluiditatem debitam deducere poteſt, unde vaſa lactea ſubire vel penitus non poſſunt, vel ubi ſubeunt, obſtructionibus, vaſorumque lacteorum ruptionibus anſam dant. Exceſſivæ etiam ejus, præſertim *ſucci pancreatici* qualitates, hujus aciditas nimia, inficere Maſſam Chyloſam frequentius quam communiter putatur, ſolent. *Men-*

 ſtruum

ſtruum Inteſtinale non ſpirituoſum, nimis ſalſum, acidum, elumbe, ſuam etiam hîc præſtat operam.

X.

Qualis ergo ex tali crudo, indigeſto, tartareo ad ſpirituaſcentiam inepto Chylo ſperandus *Sanguis*, facile perſpicitur. In hoc ſane, vel ipſo *S. Codice* teſte, ſanitas & vita noſtra hæret, ab Hoc partes omnes ſolamen ſuum & auxilium expectant, Huic partes omnes, ſuo quælibet modo, inſerviunt, omnes tamen etiam eidem ſuas affricare labes ſolent, Fermentatio potiſſimum ejus & motus inteſtinalis valetudinis noſtræ fundamentum dicitur *Ettmüll. Ch. Inf. c. 2. §. 1.* cui qua dignitatem motus localis non cedit: At in utroque multum habent ſenes, quod deſiderent; ſanguis enim, quem in corde elaborari *Hard. prodr. p. 36. Segerus in Triumph. Cord. Wedelius Phys. ſect. 3. c. 14. Mœb. Fund. Phys. c. 12. Swalv. pancr. pancr. p. 37. Leichn. Diſp. de Cord. Swammerdamm. de Reſpir. ſ 3. c. 1. & 2.* Et quidem mediante ſpecifico quodam fermento, *Ettmüll. l. c.* in pulmonibus *Bohn Ex. Ph. 8. §. 3.* in Liene *Rivin. Diſp. de Sanguif. c. 3. §. 36.* à ſe ipſo *Bruno Diſp. de ferm. Sang. §. 37. Harv. de Gen. An. Ex. 19. & 51. Willis. Ph. R. p. 2. p. 182. Charl. Oec. An. Ex. 4. Gliſſon. Anat. Hep. c. 35. Hannemann. Mantiſſ. AntiHofm.* cenſent, laudabilem ubique prærequirit materiam, ut transmutari in ſanguinem poſſit, verum talem, ut dictum, Senes non habent; Vitio huic materiæ ſi jungas ipſorum *Viſcerum* ac *Glandularum* Sanguinis generationi ac depurationi inſervientium defectus, ac in munere torporem, Senibus ob cauſas allegatas familiarem, ſanguinem quî tibi ſpondebis balſamicum, roſcidum, activum, debite mobilem, humores naturales, debita craſi ac textura gaudentes. Sub hac ſanguinis conditione qui non exſurgent *Spiritus?* requirunt Hi particulas balſamicas, volatiles, tenues, æthereas, ſummè mobiles, quales ex deſcripto modo ſanguine fruſtra petuntur, unde ex ſpirituum, ob imminutam eorum generationem, defectu, non poteſt non Languor ille Senilis oboriri. Hic ipſe autem ſpirituum defectus non tantum effectus eſt infelicioris Sanguificationis, ſed & ejus cauſa, infelici hîc inter volatiles fluidas & firmas partes, ſed neceſſario, in utroque ſtatu, *Circulo.* Viſcera enim & Glandulæ calido & ſpiritibus (vocent alii fermenta, Archeos, ſuccos, ſales) deſtitutæ, quî ſuum obibunt munus.

XI.

His aliisq; cauſis tam Externis quàm Internis cum *Sebiz. de Seneƈt. & Senum Stat. §. 170.* Cutis, verum non hujus tantum, ſed & aliarum partium pororumque anguſtiam addere neceſſe eſt, hinc enim præter fermentorum glan-

Glandularum aliarumque partium deſciſcentiam hæc ipſa pororum angu-ſtia, fibrarum etiam durities & exiccatio facit, quò minus ſalia heterogenea humoribus permixta, aliæque, ſi quæ ſunt ſordes, emungi debite ex Humoribus & eliminari è corpore queant, unde retentis iſtis cujuscunque ſortis vaporibus, fuliginibus, obruitur ſenſim ſenſimque flammula noſtra vitalis, tandemque penitus ſuffocatur: & h. m. pleroſque ſenes ſ. ætate ſ. temperamento ſuccumbere tradit Ingenioſiſſimus *Wepferus Hiſt. Cic. Aq. p. 63.* Fuligines autem retentas levis febris & naturalis mortis cauſam generalem, quod *Valleſius ſup. 4. Meteor.* dicit, non ponimus. Impedit eadem tubulorum impedita dilatatio, roris, etiamſi adhuc adſit, ſive Mæ, Sæ, laudabilium particularum penetrationem.

XII.

Circa *Externas Cauſas* multum hîc ſibi arrogat *victitandi ratio.* Cum enim ob ſtomachalis menſtrui ſegnitiem, calorisque, ad ejus excitationem requiſiti, paupertatem appetitus ſolidorum in Senibus utplurimum langueat, fit ut modo ex perverſa conſuetudine, modo ob ſeri acidi, ſalſi, acrioris abundantiam ſolo fere potu contenti vivant, quo tamen modo pesſimè ſibi conſulunt, in quantum fermentum gaſtricum, jam ante ſatis debile, hoc modo penitus dejicitur, diluitur, inersque redditur, tonus etiam ventriculi relaxatur, totumq; corpus pituitoſis ſeroſisq; cruditatibus adimpletur. Vina præſertim generoſiora, potiſſimum Sp. vini crebriore maxime uſu & copioſiore ſuſpectiſſimus, quod fermentum gaſtricum invertat non tantum, ſed & ipſam M. S. ad vappeſcentiæ ſtatum deducat, ſulphureas ejus portiones nimis agitando, incendendo, quæ incenſæ deflagrant, vappamque non ſecus ac ſpiritus ardentes incenſi poſt ſe relinquunt, *Hannemann. de uſ. & abuſ. inebr. p. 41.* hincque ſeroſorum humorum cumulus reſultat; Exemplum tale ſenis à nimio vini aduſti potu defuncti obſervavit *Schraderus Dec. 1. Obſ. 6.* Quantum crudiores durioresque cibi eorumque uſus ventriculo turbas creent, collectu facile. *Labores* potiſſimum & *motus*, tam animi quàm corporis multum hîc præſtant, qui enim magnis & aſſiduis laboribus corpus conſumunt, aut gravibus curis anguntur, citius ſeneſcunt, quam qui mediocriter ſe exercent. *Hawenreuter. Compend. Phyſ. p. 527.* Motus tales ſ. excedant ſ. deficiant Senes offendunt. Sub exceſſivo corporis motu, ſpiritus diſſipantur, humores turbantur, confunduntur; à cibo ſumpto ſi ſtatim inſtituatur, eò magis nocet, cum cibum vel non, vel ſemi-coctum ad exitum præmaturum cogat. Sub ſegniore autem motu torpor ſpiritibus inducitur, fermentatio ſanguinis, hincque partium vigor ſufflaminatur.

tur. Sc. Motus Sanguinis Circularis, à cujus continuatione vita ſalusque omnis pendet, *Cornel. l. c.* in corpore quieti ſemper dedito non ita feliciter perficitur *Bayle Probl. Phys. & Med. 22. p. 39.* ſub moderato autem motu mirum quantum juvatur *Pechlin. l. c. p. 35. Rolf. Diſs. Anat. p. 680. Pecquet. Diſs. de Circ. Sang. & Chyli mot. p. 144.* in quantum muſculi circumjacentia vaſa comprimendo, ſanguinem in iis contentum, promovent, hinc cum motus hic membrorum in Senibus fere tardior ſit, difficiliorem etiam Sanguinis Circulationem experiuntur, *Gliſſon. de Rachit. c. 10. p. 90.* præſertim cum jam ante vis ſanguinem impellens in iis ſit languidior. *Sachs. Ocean. Macro-Microcoſm. p. 20. Motus Animi* quoque non parum negotii faceſſunt: *Curis* enim ſtudiis, meditationibus qui defatigantur, horum ſpiritus à coctionibus avocantur, diſſipantur, reſolvuntur, largæ ubivis cauſarum morbificarum occaſiones, cum quo diutius vivimus, eò magis corpus ac animum moveamus, illoque motu id conſumamus. Conſummare fere Senum infirmitates nimius (ſub ſecundis utpl. votis) exceſſus in ♀re ſolet; Hinc Senex ille ſexagenarius, cum nova conjuge rem habens prima nocte in ipſo actu ♀reo Syncopticus expiravit, aliusque ſeptuagenarius ex ſimili congreſſu ſanguinis ſputationem ſibi contraxit apud *Rolf. M. S. C. p. 145, 146.* Ratio patere cuivis poteſt.

XIII.

Quà Has tamen aliàsque cauſas *notari* in genere velim, illas omnes in uno ſubjecto nec neceſſariò conjunctas requiri, nec ſemper colligatas repe- riri, quin ſufficere pro tali, qualem circumferunt Senes, imbecillitate conciliand a, modo hanc, modo aliam, modo plures, modo pauciores, quin tamen combinari ſæpius poſſint, nullum eſt dubium. *An* vero ſtante hâc Senum imbecillitate, tanta humorum totiusque corporis corruptio adſit, ut dormientes cum iis pueri eorum halitu maciem ſibi contrahant, ut hujus meminit *Borellus C. 3. O. 28.* in medio relinquo, de univerſalitate tamen aſſerti admodum dubito: utut nec hoc negare auſim, tenerum puerorum habitum citius atque facilius, quam alius ætatis robuſtiorem, à Senibus, præſertim magis Cacochymicis, inſici poſſe, ob maximam effluviorum, ſub minima etiam mole, vim & efficaciam. Conf. *Ettmüll. Diſp. de parv. magn. morb. init. §. 63, 66.* Sed hâc vice manum de Tabula, de Specialioribus enim D. V. alibi.

glandularum aliarumque partium deſciſcentiam hæc ipſa pororum anguſtia, fibrarum etiam durities & exiccatio facit, quò minus ſalia heterogenea humoribus permixta, aliæque, ſi quæ ſunt ſordes, emungi debite ex Humoribus & eliminari è corpore queant, unde retentis iſtis cujuscunque ſortis liquoribus, fuliginibus, obruitur ſenſim ſenſimque flammula noſtra vitalis, tandemque penitus ſuffocatur: & h. m. pleroſque ſenes ſ. ætate ſ. temperamento ſuccumbere tradit Ingenioſiſſimus *Wepferus Hiſt. Cic. Aq. p. 63.* Fuligines autem retentas levis febris & naturalis mortis cauſam generalem, quod *Valleſius ſup. 4. Meteor.* dicit, non ponimus. Impedit eadem tubulorum impedita dilatatio, roris, etiamſi adhuc adſit, ſive Mæ. Sæ. laudabilium particularum penetrationem.

XII.

Circa *Externas Cauſas* multum hîc ſibi arrogat *victitandi ratio*. Cum enim ob ſtomachalis menſtrui ſegnitiem, calorisque, ad ejus excitationem requiſiti, paupertatem appetitus ſolidorum in Senibus utplurimum langueat, fit ut modo ex perverſa conſuetudine, modo ob ſeri acidi, ſalſi, acrioris abundantiam ſolo fere potu contenti vivant, quo tamen modo peſſimè ſibi conſulunt, in quantum fermentum gaſtricum, jam ante ſatis debile, hoc modo penitus dejicitur, diluitur, inersque redditur, tonus etiam ventriculi relaxatur, totumq; corpus pituitoſis ſeroſisq; cruditatibus adimpletur. Vina præſertim generoſiora, potiſſimum Sp. vini crebriore maximè uſu & copioſiore ſuſpectiſſimus, quod fermentum gaſtricum invertat non tantum, ſed & ipſam M. S. ad vappeſcentiæ ſtatum deducat, ſulphureas ejus portiones nimis agitando, incendendo, quæ incenſæ deflagrant, vappamque non ſecus ac ſpiritus ardentes incenſi poſt ſe relinquunt, *Hannemann. de uſ. & abuſ. inebr. p. 41.* hincque ſeroſorum humorum cumulus reſultat; Exemplum tale ſenis à nimio vini aduſti potu defuncti obſervavit *Schraderus Dec. 1. Obſ. 6.* Quantum crudiores durioresque cibi eorumque uſus ventriculo turbas creent, collectu facile. *Labores* potiſſimum & *motus*, tam animi quàm corporis multum hîc præſtant, qui enim magnis & aſſiduis laboribus corpus conſumunt, aut gravibus curis anguntur, citius ſeneſcunt, quam qui mediocriter ſe exercent. *Hawenreuter. Compend. Phyſ. p. 527.* Motus tales ſ. excedant ſ. deficiant Senes offendunt. Sub exceſſivo corporis motu, ſpiritus diſſipantur, humores turbantur, confunduntur; à cibo ſumpto ſi ſtatim inſtituatur, eò magis nocet, cum cibum vel non, vel ſemi-coctum ad exitum præmaturum cogat. Sub ſegniore autem motu torpor ſpiritibus inducitur, fermentatio ſanguinis, hincque partium vigor ſufflamina-

tur. Sc. Motus Sanguinis Circularis, à cujus continuatione vita (alusque omnis pendet, *Cornel. l. c.* in corpore quieti ſemper dedito non ita feliciter perficitur *Bayle Probl. Phys. & Med. 22. p. 39.* ſub moderato autem motu mirum quantum juvatur *Pechlin. l. c. p. 35. Rolf. Diſſ. Anat. p. 680. Pecquet. Diſſ. de Circ. Sang. & Chyli mot. p. 144.* in quantum muſculi circumjacentia vaſa comprimendo, ſanguinem in iis contentum, promovent, hinc cum motus hic membrorum in Senibus fere tardior ſit, difficiliorem etiam Sanguinis Circulationem experiuntur, *Gliſſon. de Rachit. c. 10. p 90.* præſertim cum jam ante vis ſanguinem impellens in iis ſit languidior. *Sachs. Ocean. Macro-Microcoſm. p. 20. Motus Animi* quoque non parum negotii faceſſunt: *Curis* enim ſtudiis, meditationibus qui defatigantur, horum ſpiritus à coctionibus avocantur, diſſipantur, reſolvuntur, largæ ubivis cauſarum morbificarum occaſiones, cum quo diutius vivimus, eò magis corpus ac animum moveamus, illoque motu id conſumamus. Conſummare fere Senum infirmitates nimius (ſub ſecundis utpl. votis) exceſſus in ♀re ſolet; Hinc Senex ille ſexagenarius, cum nova conjuge rem habens prima nocte in ipſo actu ♀reo Syncopticus expiravit, aliusque ſeptuagenarius ex ſimili congreſſu ſanguinis ſputationem ſibi contraxit apud *Rolf. M. S. C. p. 145, 146.* Ratio patere cuivis poteſt,

XIII.

Quà Has tamen aliasque cauſas *notari* in genere velim, Illas omnes uno ſubjecto nec neceſſariò conjunctas requiri, nec ſemper colligatas reperiri, quin ſufficere pro tali, qualem circumferunt Senes, imbecillitate conciliandа, modo hanc, modo aliam, modo plures, modo pauciores, quin tam combinari ſæpius poſſint, nullum eſt dubium. *An* vero ſtante hâc Senum imbecillitate, tanta humorum totiusque corporis corruptio adſit, ut dormientes cum iis pueri eorum halitu maciem ſibi contrahant, ut hujus meminit *Borellus C. 3. O. 28.* in medio relinquo, de univerſalitate tamen aſſerti admodum dubito: utut nec hoc negare auſim, tenerum puerorum habitum citius atque facilius, quam alius ætatis robuſtiorem, à Senibus, præſertim magis Cacochymicis, infici poſſe, ob maximam effluviorum, ſub minima etiam mole, vim & efficaciam. Conf. *Ettmüll. Diſp. de parv. magn. morb. init.* §. *63. 66.* Sed hâc vice manum de Tabula, de Specialioribus enim D. V. alibi.